ARISTOTELIS STAGIRITÆ, PEPLI FRAGMENTVM, SIVE Heroum Homericorum EPITAPHIA,

Fideliter auctori ſuo reſtituta, Latinè verſa, & annotationibus illuſtrata per

GVLIELMVM CANTERVM.

His adiecta ſunt propter argumenti ſimilitudinem, AVSONII Epitaphia Heroum, qui bello Troiano interfuerunt, aliquot locis ab eodem emendata.

EDITIO SECVNDA,

Cum alys, tum integra Tabula recens aucta.

ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini.
CIϽ. IϽ. LXXI.

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM *eſt Regio priuilegio ne quis alius præter Chriſtophorum Plantinum, librum hūc, cui titulus eſt*, Ariſtotelis Stagiritæ, Pepl<i> fragmentum, ſiue Heroum Homericorum Epitaphia. &c. *imprimat, aut alibi impreſſum in ſuas ditiones importet, venalémve habeat. qui ſecus faxit, pœna fiſco Regio exſoluenda multabitur: vt latius in Regio diplomate expreſſum eſt, Dato Bruxellæ* 18. *Decemb. Anno Domini* 1569.

Signat.

I. de VVitte.

Doctiſſimo viro
CORNELIO VALERIO
VLTRAIEC. G. CANTERVS
VLTRAIEC. S. D.

VETVS *eſt multorum querela, ſcribendi ſcriptorumque nullum eſſe hac ætate modũ, nec finem: multosq́; peruerſa quadam quidlibet chartis illinendi libidine, ſuo & aliorum otio turpiter abuti, & hanc inter ceteras calamitatem in ſæculum ſatis per ſe miſerum ſtudioſè congerere: ac dubitari denique meritò poſſe, plusne mali an boni ſit ex arte typographica, quæ permultis tam præclara videatur, profectum. Paullo iuſtior eſt eorum ratio, qui vetera ſcripta nouis longè præferenda cenſent, et ex auctoribus antiquis, quicquid ad omne ſcientiæ genus pertineat, plenè ſumi poſſe arbitrantur: ac denique recentiorum ſcriptorum ſemper affluentium turba, vt vetuſtiora, eaque meliora, reiiciantur & neglegan-*

negligantur, fieri ægrè ferunt. Horum opinio quanquam grauem reprehenſionem non meretur; illud tamen breuiter reſponderi poſſe video, qui veterum ſcriptis vti volunt, iis permultas difficultates & remoras plerunq; ne facilè quò volunt perueniant, occurrere. Poſtquam enim è ſitu ac ſqualore tandem in lucem poſt aliquot ſæcula libri præclari & antiqui proferuntur, quidam labyrinthis & ambagibus pleni, quales re vera ſemper fuerunt, apparent: nõnulli per librariorum & publicantium incuriam vel mutilantur vel corrumpuntur, & vitioſiores ferè ac difficiliores, quàm fuerant vnquam, redduntur. Quapropter vt alia ſcriptorum omittam genera, ij certè, qui veterum ſcriptis vel explicandis, vel integritati priſtinæ reſtituendis nauãt operam, non tam noua proferre, quàm vetera reducere atque expolire credendi ſunt, adeóque non alio, quàm ſi veteres eſſent, loco, qui quidem rectè ſe gerunt, habendi. Quid quod nec ij, qui ad

artes.

artes à veteribus traditas viam quandam ſuis ſcriptionibus muniunt, priſcorumque mueta, ſæpe ſatis obſcura, cultu aliquo & commodiore tradendi ratione illuſtrant, omnino reijci debent, quãdoquidem vt ab omnibus omnia tradi & excogitari non poſſunt: ita nec idem eſt omnibus temporibus diſcentium ingenium, aut eadem percipiendi, quæ traduntur, facilitas. Qua in re tua vel in primis, vir doctiſſime, non vulgaris elucet opera, qui Logicas artes, omnium ſcientiarum fundamẽtum firmiſſimum, ea facilitate & breuitate primus tradidiſti, nihil vt videatur vel fingi poſſe adoleſcentum ſtudio commodius & apertius. id quod etiam in vtraque Philoſophiæ parte, tum quæ de moribus formandis agit, tum quæ naturæ effectuum cauſſas explicat, aliquãdo te præſtiturum in magna ſpe ſumus. Vt autem ad priora redeam, in eodem genere noſtrum quoq; hoc opuſculum cenſeri poterit, nec tam nouum quàm vetus, vt ita loquar, duci, poſteaquam viri

 clariſſimi

clariſſimi ſcriptum tot iam ſæculis obſcuratum natalibus quodam modo reſtituit. & vt facilius ac iucũdius poſthac legi poſſit, efficere conatur. Iam hunc laborẽ meum cur tibi dedicatum velim, doctiſſime Valeri, cauſſam habeo ſatis iuſtam & grauem. Cùm enim poſt Deum ac parentes plurimũ quiſque ijs debeat, quorum opera ſcientiæ alicuius liberalis, qua vix maius reperitur in rebus humanis bonum, cognitionem & vſum conſecutus eſt: ego te, & I. Auratum, vtrunque ſummum & maximum virum, præceptores nunquam pœnitendos agnoſco: quibus quantum debeam (debeo autem permultum) & priuatim libenter, & publicè, cùm datur occaſio, teſtatum ſoleo reddere. Itaque ſicut ante dies aliquot Lycophronis oraculorũ compendium verſibus breuibus vtraque lingua conſcriptum Aurato miſi, ita nunc hæc Ariſtotelis carmina tanquam à mortuis reuocata ſub tuo nomine proferre volui, atque hoc pacto grati & memoris animi ſignificationem ali-

aliquam dare. Quod eo facilius mihi factu-rus videbar, quòd is, qui pro literario mu-nere, quod ſit eiuſdem generis, reponit, ve-lut ſi quis pro arbore donata fructus gra-tiarum loco referat, iuſto ac donationi con-ſentaneo, vt quidam ait, beneficij referen-di modo vti videtur. Veruntamen hacte-nus id valere dũtaxat volo, quoad moram Seruij cõmentariorum nouæ editionis, iam pridem tibi promiſſæ, æquiore poßis animo ferre, & has tãquam laborum grauiorum primitias interim candidè & humaniter, vt non facere non potes, excipere. Vale.

IDEM LECTORI S. D.

DVo quædam neceſſariò vidētur hoc loco, candide lector, antequam ad vlteriora veniamus, exponenda: cur videlicet hūc librum Ariſtotelis eſſe, primus præter omnem opinionem aſſeram, & quid à nobis in eo de cetero præſtitum ſit. Nam nec de Ariſtotele ipſo quicquam poſt tot viros dicendum videbitur, & huius libelli argumentum, dum eum ſuo auctori vindicabimus, pariter perſpicuum fiet.

Vt igitur de priore prius dicā, prodierunt nuper è typographia C. Plantini, eque H. Stephani typographorū elegantiſſimorum heroum antiquorum aliquot epitaphia cum hac inſcriptione: Vbi Gręcorum quiſque ſit ſepul-

ſepultus, & quid ſepulcro ſit inſcriptum: nullo præterea ſcriptoris adiecto nomine. Hæc æquidē epigrammata ſeriò ac firmiter Ariſtotelis cuiuſdam libri fragmentum eſſe aſſero, neque id infirmis rationibus me probaturum cōfido. Euſtathius etenim, Homeri interpres, vel potius interpretum concinnator, in expoſitione verſus Bœotiæ,

Aſt Aiax bis ſex puppes Salamine ferebat:
teſtis eſt Porphyrium ſcribere, Ariſtotelem inter ceteros cōmentarium quendam Pepli nomine edidiſſe, in quo & genealogias principum Homericorum, ac nauium à ſingulis aduectarum numerum tradiderit, & in ipſos epigrammata ſimplici ſtylo, neque tumidum vel inflatū quicquam habētē conſcripſerit: atque ita, quod idem Euſtathius alibi dicit, ex breui tela multiplex Homericę poëſeos peplum confecerit. De hoc Peplo hæc

nobis epigrammata duntaxat reſtare video, reliquis iniuria temporum deperditis: adeoque per Porphyrium, quem in ſuis cōmentarijs eadem deſcripſiſse tradit Euſtathius , ad nos tranſlata, ex eiusque libris; poſtquam illi nunc quoque perierunt, olim deſcripta credo. Iam quod eſt argumētum certiſſimū, ſcripſerat idem Porphyrius, Ariſtotelis epigrammata ſingula binis verſibus conſtare, excepto quodam, quod in Aiacem eſſet compoſitum: quod quidē Euſtathius totum ex Porphyrio recitat. At id in noſtris cernitur apertiſſimè, niſi quòd Aiacis epigrāma iampridem, quoniā in libris Græcorum epigrammatum legitur, in priori editione tanquam ſuperuacuum fuit omiſſum: Præterea quemadmodum hoc in Aiacem epigramma vocat antiquū Euſtathius, ſic etiam vtrunque in Neſtorem editum, cuius aliquot verba profert, idē

eodem

eodem donat nomine. Neque hoc turbare quenquam debet, quod ad finem alia quædam carmina, quæ nõ videantur ab Ariſtotele conſcripta, ſint adiecta: cùm in talibus id ſæpe fieri ſoleat, vt poſtquam certus nuſquam auctor proditur, quæcunque ſunt generis eiuſdem, in vnam quaſi maſſam cumulentur. Nos verò, quicquid ad Homericos principes non pertineret, in alium locum, vt apparebit, reiecimus, ac ſua Peplo carmina tribuimus. Verùm hoc ad ſecundam noſtri inſtituti partem, de qua dicendum reſtat, pertinet.

Etenim cùm tam nobilis ſcriptoris hoc eſſe monumentum ijs, quę retuli, indicijs comperiſsem, nihil prius nec antiquius habui, quàm vt idem in Latinam linguam & verſus Romanos quàm poſſem cõmodiſſimè transferrem, vt ne eius, cuius reliqua ſcripta tam diligentes tamque doctos eſſent

eſſent nacta interpretes, hoc ſolum fragmentum tanquam ſpurium Latinis auribus iaceret ignotũ. Et quoniam in Peplo ſuo Ariſtoteles non carmina tãtum aliquot poſuerat, verùm etiam genealogias Homericorũ principum explicuerat: neque eius rei vllum nunc extaret veſtigium: huius quoque ſcripti deſiderium aliquo modo putaui me poſſe reſtinguere, quodque à tanto viro accuratè, vt reliqua omnia, tractatum fuerat, aliqua ex parte diligentiæ atque obſeruationis ope leuiter exprimere. Itaque poſt interpretationẽ Annotationes quaſdam ſubieci, in quibus breuiter primùm ſingulorum heroum maiores vno verbo indicaui, tota parentum ſerie, quo res fieret commodior, Tabulæ reſeruata. Quoniam enim non me pudebat in ea re, quã tantus philoſophus dedignatus non fuerat, accuratius explicãda temporis aliquantum

tum ponere, videbamque præterea, non parum ad poëtas intelligẽdos id collaturum: Deorum & hominum illuſtrium progenies è Græcorũ commentarijs, Apollodori præcipuè & Euſtathij, in tabulam congeſſi, quæ à primis vſque poëticis parẽtibus heroum ſingulorum, & aliorum, quos poëtæ frequenter in ore habent, progeniei ſeriem longo ordine ſub oculos ponit. atque hæc in Tabula.

Iam cùm ad horum epitaphiorum explicationem quod faceret, ab Homero ſemper ſumi non poſſet, commodè nobis Lycophron, quem, dum hæc ſcribebantur, edebamus, auxilio fuit, ac ſe, quem poſt Homerum tutò ſequeremur, auctorem ſatis locupletem exhibuit. Itaque cùm Homerus Bœotia ducum nomina & naues, atq; etiam quorundam obitum prȩſertim qui in prœlio perierant, expoſuiſſet: Lycophron eorum, qui poſt prœlium

vel domum reuerſi, vel in alias regiones delati eſſent, variam fortunã, dubioſque caſus recenſuiſſet: Ariſtoteles deniq; mortuis & ſepultis epitaphia conſcripſiſſet: ex ijs tribus opuſculis perfectam ducum & heroum Homericorum quaſi hiſtoriolam poſſe concinnari credidi. Quapropter poſt maiores ſingulorũ enarratos, mortis cuiuſque locum & modum ex Homero vel Caſſandra adieci: & ſi quid aliud ad epitaphij cuiuſquam explicationẽ pertinere videretur, breuiter ſubiunxi. Et quoniã Homericos duces omnes explicatos volebam, id vt fieret commodius, ordinem in Ariſtotelis editione ſeruatum neglexi, & Homericum prætuli, præſertim cùm in eo parum eſſet ſitũ diſcriminis. Sed hæc de re ſatis parua nimis multa videri poſſint. Saltem hoc omittẽdum non eſt, Pepli huius mẽtionem facere Socratem hiſtoriæ ſuæ lib.iii. cap.xxiij.

Lyco-

Lycophronis interpretem Græcum, quo loco de Agapenore & Ancæo agitur: Etymologici ſcriptorem in Elide: qui in Ariſtidis Panathenaicum Græcè ſcripſit, cùm hæc ſub finem verba, ἐνδοξότατοι πάντων οἱ κατὰ τὴν ἑλλάδα ἀγῶνες, explicat. Vale lector, & fruere.

Τοῦ Ἀριστοτέλους εὐγένεια.

Φέστιδος ἐκ μητρὸς, καὶ Νικομάχου γενετῆρος,
τῶν Ἀσκληπιαδῶν, δῖος Ἀριστοτέλης.

Ariſtotelis nobilitas.

Nicomachum patrem, genetricem Pheſtida vidit,
Ambo Aſclepiadas, diuus Ariſtoteles.

ΑΡΙΣΤΟΤΕΛΟΥΣ
εἰς τοὺς παρ᾽ Ὁμήρῳ ἥρωας
Επιτάφια.

Επὶ Πηνελέῳ, κειμένου ἐν βοιωτίᾳ.

Τόνδ᾽ ἐπὶ Κηφισσῷ ποταμῷ θέσαν ὠκὺ ῥέοντι
παῖδες βοιωτῶν σώφρονα Πηνέλεων.

Επὶ Ασκαλάφου καὶ Ιαλμένου.

Ασκαλάφου ζοίῃ φθιμένου καὶ Ιαλμένου ἤδη
ὀςέα πληξίππων γῆ μινυὰς κατέχει.

Επὶ Αἴαντος τοῦ Οἰλέως, κειμένου ἐν μυκόνῳ τῇ νήσῳ.

Ενθάδε τὸν λοκρῶν ἡγήτορα γαῖα κατέχει
Αἴαντ᾽ ὀϊλιάδην ἐν πελάγει φθίμενον.

Επὶ Ελεφήνορος, κειμένου ἐν τροίῃ.

Νήσου ἀπ᾽ εὐβοίης Ελεφήνορα ἀρχὸν ἀβάντων
ἐνθάδ᾽ ἐνὶ τροίῃ μοῖρα κατέσχε βίου.

Επὶ Μενεσθέως, κειμένου ἐν ἀθήναις.

Ταξίλοχος λαῶν, υἱὸς πετεῶο Μενεσθεὺς,
ἐνθάδ᾽ ἐνὶ κλεινῇ πατρίδι μοῖραν ἔχει.

Επὶ Αἴαντος τελαμωνίου, κειμένου ἐν τροίῃ.

Αδ᾽ ἐγὼ ἁ τλάμων ἀρετὰ παρὰ τῷδε κάθημαι
Αἴαντος τύμβῳ κειραμένα πλοκάμους,
θυμὸν ἄχει μεγάλῳ βεβολημένα, οὕνεκ᾽ ἀχαιοῖς
ἁ δολόφρων ἀπάτα κρέσσον ἐμοῦ κέκριται.

Επὶ

ARISTOTELIS
Heroum Homericorum
Epitaphia.

Interprete GVLIELMO CANTERO.

1 Penelei in Bœotia.

Hunc ad Cephiſi rapida abſcondere gementes
Fortem Bœoti flumina Peneleum.

2 Aſcalaphi & Ialmeni, Minyæ.

Aſcalaphi Troiæ domiti, cui frater adhæret
Ialmenus, hoc Minyæ detinet oſſa ſolum.

3 Aiacis Oilei F. in Mycono.

Heic Locri pelago ſubmerſi terra dynaſtæ
Aiacis corpus ſeruat Oiliadæ.

4 Elpenoris, ad Troiam.

Quem tulit Eubœa, princeps Elpenor Abantum,
Hac vacuum poſuit Troade corpus humo.

5 Meneſthei, Athenis.

Ductor caſtrorum, Petei ſtirps clara Meneſtheus,
Heic terræ corpus reddidit eximium.

6 Aiacis Telamonij, ad Troiam.

Huic ego tonſa comas magni miſeranda decentes
Aiacis Virtus aſsideo tumulo,
Ingenti pulcrum pectus concuſſa dolore,
Cum Græcis potior me dolus extiterat.

Επὶ Τεύκρου, κειμένου ἐν σαλαμῖνι τῆς κύπρου.

Ιῶν ὠκυμόρων ταμίην, τελαμώνιον ἥδε
Τεῦκρον ἀποφθίμενον γῆ σαλαμὶς κατέχει.

Επὶ Διομήδους, κειμένου ἐν τῇ ὁμωνύμῳ νήσῳ.

Αινητὸν πάντεσσιν ἐπιχθονίοις Διομήδη
ἥδ᾽ ἱερὰ κατέχει νῆσος ὁμωνυμίη.

Επὶ Σθενέλου καὶ Ευρυάλου, κειμένων ἐν ἄργει.

Αργεῖος Σθένελος καπανήϊος ὧδε τέθαπται
τύμβῳ, καὶ τούτου πλησίον Ευρύαλος.

Επὶ Αγαμέμνονος, κειμένου ἐν μυκήναις.

Αδύσσεις ἀτρείδεω Αγαμέμνονος ὦ ξένε τύμβον,
ὅς θάν᾽ ὑπ᾽ αἰγίσθου κουλομένης ἀλόχου.

Ετερον.

Μνῆμα τόδ᾽ ἀτρείδεω Αγαμέμνονος, ὅν ῥα κατέκτα
δῖα κλυταιμνήστρη τυνδαρὶς οὐχ ὁσίως.

Επὶ Μενελάου.

Ολβιος, ὦ Μενέλαε, σύ τ᾽ ἀθάνατος καὶ ἀγήρως,
ἐν μακάρων νήσοις γαμβρὲ διὸς μεγάλου.

Επὶ Νέστορος, κειμένου ἐν πύλῳ.

Τὸν βαθυνούσιν ψυχήν τε νόημά τε θεῖον ἔχοντα
ἄνδρ᾽ ἀγαθὸν κατέχω, Νέστορα τὸν πύλιον.

Ετερον.

Νέστορα τῶν πυλίων ἡγήτορα ἥδε θανόντα
γῆ κατέχει, βουλῇ φέρτατον ἡμιθέων.

Επὶ Αντιλόχου, κειμένου ἐν τροίῃ.

Μνῆμ᾽ ἀρετῆς υἱοῦ τοῦ Νέστορος, Αντιλόχοιο,
ὃς θάνεν ἐν τροίῃ ῥυσάμενος πατέρα.

Επὶ Αγαπήνορος.

Αρχὸς ὅδ᾽ ἐκ τεγέης Αγαπήνωρ, Αγκαίου υἱός,
κεῖθ᾽ ὑπ᾽ ἐμοὶ ταφίων πελτοφόρων βασιλεύς.

Επὶ

Teucri, Salamine Cypri.

Doctum letiferas Teucrum torquere ſagittas,
Quem Telamo genuit, hæc Salamina tenet.

8 Diomedis, in Diomedea.

Laudatum cunctis Diomedem hæc inſula fortem,
Quæ ſimili fertur nomine, ſacra tenet,

9 Stheneli & Euryali, Argis.

Arginus Sthenelus Capaneius hoc monumento
Conditur, atque illo non procul Euryalus.

10 Agamemnonis, Mycenis.

Atridæ tumulum ſpectas Agamemnonis, hoſpes,
Qui perit Aegiſthi coniugijque dolo.

11 Aliud.

Atridæ buſtum hoc Agamemnonis: hunc ſine lege
Diua Clytæmneſtre Tyndaris interimit.

12 Menelai.

Felix ô Menelae, expers leti ſenijque,
Dialisque gener, prata per Elyſia,

13 Neſtoris, Pyli.

Neſtora, cordatæ mentisque ſenem, ingenijque
Diuini, Pylium contego grande decus.

14 Aliud.

Conſultis nulli cedentem Neſtora regem
Semideo Pylium continet hic loculus.

15 Antilochi, ad Troiam.

Neſtoris Antilochi virtutisque ecce ſepulcrum,
Troiæ ſeruato qui genitore perit.

16 Agapenoris, in Cypro.

Ancæo Tegeæ prognatum Agapenora, regem
Peltati Taphij, poſt ſua fata tego.

Ἐπὶ Ἀμφιμάχου καὶ Διώρου.

Ἀρχὸς τ' Ἀμφίμαχος Κτεάτου παῖς ἠδὲ Διώρης,
ἐνθάδ' ἐνὶ Τροίῃ μοῖραν ἔχουσι βίου.

Ἐπὶ Θαλπίου καὶ Πολυξένου, κειμένων ἐν ἤλιδι.

Οἱ δὲ Πολύξεινος καὶ Θάλπιος ἤλιδι δίῃ
δμηθέντες κελεροῦ δῶμ' ἀΐδαο ἔβαν.

Ἐπὶ κενοταφίου Μέγητος, ἐν δουλιχίῳ.

Μνῆμα Μέγητι θοῷ, μεγαθύμου Φυλέως υἱῷ,
δουλίχιοι τεῦξαν. σῶμα δὲ πόντος ἔχει.

Ἐπὶ Ὀδυσσέως, κειμένου ἐν τυῤῥηνίᾳ.

Ἀνέρα τὸν πολύμητιν ἐπὶ χθονὶ τῇδε θανόντα,
κλεινότατον θνητῶν, τύμβος ἐπεσκίασεν.

Ἕτερον.

Οὗτος Ὀδυσσῆος κείνου τάφος, ὃν διὰ πολλὰ
ἕλληνες πολέμῳ τρωικῷ εὐτύχησαν.

Ἐπὶ Θόαντος.

Υἱὸν ὑπερθύμου Ἀνδραίμονος ἠδὲ θυγατρὸς
Γόργης τοῦ Οἰνέως ἥδε κόνις κατέχει.

Ἐπὶ Ἰδομενέως καὶ Μηριόνου, κειμένων ἐν κνωσσῷ.

Κνωσσίου Ἰδομενῆος ὁρᾷς τάφον. αὐτὰρ ἐγὼ τοῦ
πλησίον ἵδρυμαι Μηριόνης ὁ Μόλου.

Ἐπὶ Τληπολέμου, κειμένου ἐν ῥόδῳ.

Α δ' ἡρακλείδην ῥηξήνορα θυμολέοντα
Τληπόλεμον κατέχει κυματόεσσα ῥόδος.

Ἐπὶ Δηϊπύλου.

Δηϊπύλου κόρσης εὐειδέος ὀρμενίοιο
μνῆμα τόδ' εὐκλεινόν. γείνατο Τληπόλεμος.

Ἐπὶ Νιρέως, κειμένου ἐν τροίᾳ.

Ἐνθάδε τὸν κάλλιστον ἐπιχθονίων ἔχει γαῖα,
Νιρέα, τὸν χαρόπου παῖδα καὶ ἀγλαΐης.

Ἐπὶ

17 Amphimachi & Dioris, ad Troiam.

Princeps Amphimachus Cteato ſatus atq; Diores
Hoc Troiæ fortes oppetiere ſolo.

18 Thalpij & Polyxeni Elide.

Thalpius ecce ſimulque Polyxenus Elide dia
Morte obita, Ditis ſic petiere domum.

19 Megetis in cenotaphio, Dulichij.

Phlidæ hæc acri monumenta dedere Megeti
Dulichij: corpus nobile pontus habet.

20 Vlyſſis, in Tyrrhenia.

Prudentem celebremque virum poſt aſpera fata
Hoc gratus tumuli ceſpite cælat honor.

21 Aliud.

Quem propter felix experta eſt Græcia bellum,
Illius hic tumulus clarus Vlyſsis erit.

22 Thoantis.

Magnanimi gnatum hæc Andræmonis, & pater
Cui fuerat, Gorges arida puluis habet. [Oeneus

23 Idomenei & Merionis, Cnoſſi.

Idomenei Cnoſsi monumentum cernitis: aſt hunc
Iuxta ſum poſitus Meriones Molius.

24 Tlepolemi, Rhodi.

Herculis hæc prolem robuſtam magnanimamque,
Tlepolemum, condit fluctibus orta Rhodus.

25 Deipyli.

Deipyli pulcrum caput hac tellure repoſtum eſt
Ormenij. pater huic Tlepolemus fuerat.

26 Nirei, ad Troiam.

Heic forma cunctis præſtantem Nirea tellus
Occuluit, Charopi filium & Aglaiæ.

Ἐπὶ Φειδίππου καὶ Ἀντίφου.

Φείδιππον τροίην πέρσαντ᾽ ἠδ᾽ Ἄντιφον ἥρω
γαῖα πατρὶς κώμη ἠδ᾽ ἐφύρα κατέχει.

Ἐπὶ Ἀχιλλέως, κειμένου ἐν τροίῃ.

Παῖδα θεᾶς θέτιδος, πηληϊάδην Ἀχιλῆα,
ἥδ᾽ ἱερὰ προποντὶς ἀμφὶς ἔχει πεδίῳ.

Ἕτερον.

Θεσσαλὸς οὗτος ἀνὴρ Ἀχιλεὺς ἐν τῷδε τέθαπται
τύμβῳ. ἐθρήνησαν δ᾽ ἐννέα πιερίδες.

Ἐπὶ Πατρόκλου, κειμένου μετὰ Ἀχιλλέως.

Πατρόκλου τάφος οὗτος. ὁμοῦ δ᾽ Ἀχιλῆϊ τέθαπται,
ὃν κτάνεν ὠκὺς ἄρης ἕκτορος ἐν παλάμαις.

Ἐπὶ Ποδάρκους, κειμένου ἐν σικυῶνι.

Γῆ μὲν ἀχαιῒς ἔθρεψε Ποδάρκην Ἄκτορος υἱὸν,
ὀστέα δ᾽ αὖ σικυῶν γῆ κατέχει φθιμένου.

Ἐπὶ φιλοκτήτου.

Τόξων ἡρακλέους ταμίην ποιάντιον υἱὸν
ἥδε φιλοκτήτην γῆ μινυὰς κατέχει.

Ἐπὶ Εὐμήλου.

Υἱὸς ὁ δ᾽ Ἀδμήτοιο, φερητιάδης Εὔμηλος,
νέρθ᾽ ὑπ᾽ ἐμοὶ κεῖται μοῖραν ἔχων θανάτου.

Ἐπὶ κενοταφίου Ποδαλειρίου καὶ Μαχάονος, ἐν τρίκκῃ.

Οἵδ᾽ ἀσκληπιάδαι, Ποδαλείριος ἠδὲ Μαχάων,
πρόσθε μὲν θνητοὶ, νῦν δὲ θεῶν μέτοχοι.

Ἐπὶ Εὐρυπύλου, κειμένου ἐν ὀρχομενῷ.

Πάτρῃ ἐν ὀρχομενῷ Εὐαίμονος ἀγλαὸν υἱὸν
Εὐρύπυλον κρύπτει δακρυόεσσα κόνις.

Ἐπὶ Πολυποίτου καὶ Λεοντέως.

Ἀρχοντες λαπιθῶν Πολυποίτης ἠδὲ Λεοντεὺς
ἐν γαίῃ μήδων τέρμ᾽ ἀφίκοντο βίου.

Ἐπὶ

27 Phidippi & Antiphi Ephyræ

Antiphum & euerſa Phidippum diuite Troia
Hic Ephyræ vicus patria terra tegit.

28 Achillis, ad Troiam.

Quem Peleus genuit diua ex Nereide Achillem,
Hæc ſeorſum in campo ſacra Propontis habet.

29 Aliud.

Theſſalus hic tumulo eſt iſto contectus Achilles:
At luxere nouem, credite, Pierides.

30 Patrocli, ibidem.

Patroclum heic eadem, quæ Pelidē, vrna recondit,
Robore quem domuit Mars citus Hectoreo.

31 Podarcis, Sichone.

Actoridem tellus eduxit Achiua podarcem:
Compoſiti Sicyon puluerea oſſa tegit.

32 Eumeli.

Subter me recubat, letali ſorte potitus,
Admeti Eumelus, gente Pheretiades.

33 Philoctetis Minyæ

Arcus Herculei cuſtos, Pœantia proles,
Hoc tegitur Minyæ poſt ſua fata ſolo,

34 Podalirij & Machaonis in cenotaphio, Triccæ.

Ecce Aſclepiadæ, Podalirius atque Machaon,
Olim homines, at nunc numina ſancta deûm.

35 Eurypyli, Orchomeni.

Orchomeni patriæ prognatum Euæmone clarum
Eurypylum tellus hæc lacrymoſa tegit.

36 Polypœtis & Leontei.

Ductores Lapithum, Polypœtes, atque Leonteus,
Medorum in terra lucem obiere ſuam.

Ἐπὶ γυνίας.

Σῆμα τὸ μὲν γυνῆος ὁρᾷς· ψυχὴ δὲ θανόντος
ἀὲρ ἐς ὑγρὸν ἔβη. σῶμα δὲ πόντος ἔχει.

Ἐπὶ κενοταφίου Προθόου.

Σῶμα μὲν ἐν πόντῳ Προθόου, Τενθρηδόνος υἱ
κεῖται. ἀνοίκτιστον δ' οὔνομα τύμβος ἔχει.

Ἐπὶ Ταλθυβίου, κειμένου ἐν μυκήνῃ.

Ταλθύβιον θεράποντα θεῶν κήρυκα καὶ ἀνδρά
ὧδε μυκηναίων δῆμος ἔθαψεν ἅπας.

Ἐπὶ Αὐτομέδοντος,, κειμένου ἐν τροίῃ.

Αὐτομέδοντ', Ἀχιλῆι ἑὸν καὶ πιστὸν ἑταῖρον,
ἥδε κατεσκίασε ζωὰς ἄρουρα τάφῳ.

Ἐπὶ Ἕκτορος, κειμένου ἐν θήβαις.

Ἕκτορι τόνδε μέγαν βοιώτιοι ἄνδρες ἔτευξαν
τύμβον ὑπὲρ γαίης σῆμ' ἐπιγιγνομένοις.

Ἐπὶ Πυραίχμου, κειμένου ἐν τροίᾳ.

Ἐλθὼν ἐξ ἀμυδῶνος ἀπ' ἀξίου ὧδε Πυραίχμη
ὠκύμορος πάντων νόσφι φίλων ἔθανεν.

ΤΕΛΟΣ.

37 Gunei in cenotaphio in Perrhæbia.

Hoc habuit Guneus monumẽtũ. namq; anima vdũ
Aera conſcendit. ſed mare corpus habet.

38 Prothoi in cenotaphio, in Magneſia.

Corpus habet pontus Prothoi, Tenthredone nati:
Iſte viri tumulus nomen inane gerit.

39 Talthybij, Mycenis.

Talthybiũ, famulũ & præconẽ hominũq; deumq;,
Hoc ciues cuncti compoſuere loco.

40 Automedontis, ad Troiam.

Pelidæ fidum atq; probum ſocium, Automedontẽ,
Hæc Troiana ſua terra recepit humo.

41 Hectoris, Thebis.

Heroum tibi Bœoti terram ſuper, Hector,
Hoc ſtruxere viri, lucida ſigna ſuis,

42 Pyræchmis, ad Troiam.

Axi Pyræchmes latice, atque Amydone relicta,
Heic procul à notis diſsitus oppetijt.

FINIS.

GVLIELMI CANTERI ANNOTATIONES IN Epitaphia.

In primum.

PEneleus Bœotorum dux fuit, obſcuris, vt videtur, natus parentibus. Is poſt bellum Troianum in patriam redijt. Calaber tamẽ eum lib. ſeptimo ab Eurypylo interfici facit. Milites quidem eius in Iberiam & Baleares inſulas deueniſſe, tradit Lycophron. Ceterùm adiungit Peneleo duces quatuor Homerus: Leitum, Arceſilaum, Prothoenorẽ, Clonium. Ex his Prothoenor à Polydamáte occiditur Iliad. ξ. Arceſilaus ab Hectore, Clonius ab Agenore, libro proximè ſequenti.

In ſecundum.

Aſcalaphus & Ialmenus, Martis ex Aſtyoche fuerunt filij. Hi cùm ad Troiam obijſſent, (Aſcalaphus quidam à Deiphobo Il. ν. occiditur) oſſa ſunt in patriam relata. Sepulcri locum ex epigrammate addidimus. Poſt hos Homerus Schedium & Epiſtrophũ ſubiungit. ij duces Phocenſes fuerunt, Iphiti FF. Nauboli NN. Ac Schedius qui-

quidem ab Hectore Iliad ρ. interimitur. Iam horum ſocios in Italiam & Calabriam aberaſſe vult Lycophron.

In tertium.

Aiax hic ab Amphictyone, Deucalionis F. Promethei N. genus ducit. Hic naufragio in reditu facto, pòſt in terrâ fuit eiectus ad Gyrades petras: & in Mycono, inſula maris Ægei, ſepultus. Mendoſa enim fuit hoc loco Græci carminis inſcriptio.

In quartum.

Elpenor ad Pandionem, Athenarum regẽ, genus refert. hunc Homerus ab Agenore Iliad. δ. occidi facit: Lycophron in Epirum ait poſt bellum Troianum deueniſſe.

In quintum.

Meneſthei maiores in Elpenore tradidimus. Is Athenas poſt bellũ reuerſus, ibidem ſepulcrum inter ſuos conſecutus eſt. Eum vocat caſtrorum ductorẽ Ariſtoteles, Homerũ ſecutus, qui hoc de illo cecinit:

Huic nullus mortalis adhuc par extitit vnquam
Scutatos ornare viros, & corpora equorum.

In ſextum

Aiax hic ab Aſopo, Oceani F. genus ducit. Hic ſeipſum gladio ſuo, poſtquã Achillis arma non obtinuerat, interemit: quam hiſtoriam

hiſtoriam integra tragœdia Sophocles deſcripſit. Virtus dea igitur in hoc epigrammate dolorem ſuum indicat, quem ex eo non leuem conceperat, poſtquam Vlyſſis dolus & eloquentia virtuti & fortitudini Aiacis apud Græcos iudices in certamine de armis Achilleis inſtituto præualuerat.

In ſeptimum.

Teucer vnà cum Aiace fratre in bellum profectus eſt. nam ex Heſiona, quam Telamoni capta Troia donarat Hercules, natus fuit. Is cùm poſt Aiacis mortem in patriam redijſſet, à patre receptus non eſt, quoniam fratrem ſecum non adduxerat. quo pertinent elegantiſſimi Euripidis Helena verſus, quibus inter ſe Teucer & Helena ſic alternis loquuntur:

H. *Quid igitur iſtos teris agros Melonios?*
T. *Exul paterno ſum fugatus è ſolo.*
H. *Miſer quidem ſis. ſed quis inde te expulit?*
T. *Telamon ſator. quis poſsit eſſe amicior?*
H. *Quare? miſeria namque res ea non vacat.*
T. *Me perdit Aiax frater in Troia ſitus.*
H. *Qui? non tua vitam abdicans ſeceſpita.*
T. *Saltus ferocem perdidit in enſem ſuum.*
H. *Furentem? an hoc ſanus animo quis audeat?*
T *Noſtine Achillem Peleo quendam ſatum?*

H. Quon-

H. Quondā, quod audimus, Helenæ venit procus.
T. Certamen obiens liquit armorum ſuis.
H. At hoc quid adfert triſtis Aiaci mali?
T. Vt alius arma cepit, expirat miſer.
H. Tu iam tui fratris laboras cladibus?
T. Quia non ſimul perire collibitum fuit.

In Cyprum igitur profectus, vt vaticinatur Caſſandra, nouam Salamina, patriæ cognominem condidit, camq́ue mortuus quoque occupauit.

In octauum.

Diomedes à Calice, Æoli F. Hellenis N. prognatus eſt. Is cùm in Ætoliam rediјſſet, vxoris adulteræ inſidijs animaduerſis, teſte Lycophrone, in Dauniam confugit, ac bello, quod gerebat rex Daunus, opera ſua præſtita, Diomedeam inſulam apud Ionium ſinum incoluit. Reliquas res ab eo geſtas exponit Chalcidenſis noſter.

In nonum.

Sthenelus primum à Belo deducitur. Hunc ad Colophonem ſepultum ſcribit Lycofron. Iam Euryali originem in Eumelo trademus.

In decimum.

Agamemnonis regis maiores nemini ſunt ignoti. Mortis quoque genus ab Homero,

mero, atque tragicis decantatum eſt. Coniugij vocabulum ea ratione heic vſurpatur, qua dixit lib 3. Propertius,

Et certamen habent leti, quæ viua ſequatur
Coniugium.— ſimiliter, Sophocles, Antigone,

ἀλλὰ κτενεῖς νυμφεῖα. τοῦ σαυτοῦ τέκνου;

In duodecimum.

Menelaus fuit Agamemnonis frater. is poſt bellum Troianum longo tempore circumactus, vt narrat Lycophron, tandem domum redijt, ac paulo pòſt viuus in beatorum inſulas, & campos Elyſios tranſlatus eſt. quod ita fore prædixerat Proteus, cuius hęc leguntur Odyſſ. δ. ad Menelaum verba:

At tibi fas non eſt, Argis, Menelae, perire:
Te ſed in Elyſios mittent, extremaque terræ
Dij ſuperi, poſtquam Iouis es gener, atque Helenæ vir.

Neque aliter apud Eurip. extrema Helena vaticinantur Dioſcuri,

Menelaum & erronem deorum gratia
Colere beatas conſtitutum eſt inſulas.
Nam nobiles odere nunquam dij viros:
At viliorum ſunt labores proprij.

Dialem generum dixi, ſicut Diales nuncupantur flamines. Dius enim eſt Iupiter. hinc

hinc ſub dio, vel ſub Ioue quis eſſe eadem ratione dicitur. Quin etiam quod nobis Deus eſt, antiquis fuiſſe Dius, non illubenter crediderim. Vt enim omittã vocalium hanc permutationem nouam non eſſe, quod alibi docuimus: mõſtrant hoc aperte verſus Euripidis, à Cicerone ſic expreſſi,

Vides ſublime fuſum immoderatum
æthera:
Qui terram tenero circumiectu
amplectitur?
Hunc ſummum habeto diuum: hunc
perhibeto Iouem.

Iam ſicut Marſpiter, ſic etiam Diuſpiter olim dicebatur, & quod adhuc eſt in vſu, Dieſpiter. Ex Diuſpiter porrò deminutum eſt Iupiter: quemadmodum cõtra veteres ex Iana fecerunt Diana Grammatici. Ea quoque quoniam olim Deiana dicebatur, ſicut Eiana fuerat, hinc illud ſumtum,

Exercet Diana choros.———

In decimumtertium.

Neſtor Nelei fuit F. Tyronis N. ea porro fuit Salmonei F. Æoli N. is in patria decrepitus obijt. Cum eo quinque duces alibi coniungit Poëta, Pelagontem, Alaſtorem, Chromium, Hæmonem, & Biantem.

In

In decimumquintum.

Antilochus Neſtoris fuit F. Piſiſtrati frater, quem Odyſſea celebrat. Is, cùm aliquando pater in prœlio periclitaretur, pro eo fortiter depugnans occubuit. Tradunt hiſtoriá Cointus poëta, & Pindarus Pyth. ſexta: quem locum totum nos ita ſeruatis numeris reddidimus.

Valens & ante fuit Antilochi poteſtas
Hoc dogma rite tenens: qui patre pro ſuo
Deperijt, ipſum ſuſtinens
Memnonem ducem Æthiopum.
Neſtoreas nam
Currus morarier ſonipes
Paridis à iaculo cruentus. tenet at hic
Haſtile firmum.
Meſſenij ſenis autem
Suum turbida euocat mens filium.
Neque irritam iacere genitor ore vocem:
Manenſque dius homo, morte parentis emit facile vitam, viſus &
Eſt apud ſenum ſeriem poſteritati,
Vt grande perfecit facinus,
Summus eſſe erga parentes pio opere.

In decimumſextum.

Agapenor à Phoroneo, Inachi F. Oceani N. genus ducit. Is poſt bellú Troianum in Cyprum

Cyprum venit, vt ex Lycophrone cognoſcitur: ex quo etiam ſepulcri locum adiecimus. Pauſanias addit, Paphum in Cypro, inq; ea Veneris templum eum extruxiſſe.

In decimumſeptimum & decimumoctauum,

Hi quatuor duces Elei fuerunt ab Epeo Endymionis F. Calyces N. orti.

Amphimachus quidem Iliad. *ν*. ab Hectore (quanquam Calaber eum lib. duodec. equo Troiano imponit) Diores autem à Pirone Iliad. *δ*. trucidatur.

In decimumnonum.

Megetis maiores modò declarauimus. Is in reditu naufragium videtur vnà cum reliquis feciſſe. Dulichium eſt Echinadum inſula.

In vigeſimum.

Vlyſſes à Deione. Æoli F. Hellenis N. genus ducit.

Alij Siſyphi F. faciunt Vlyſſem, ab Anticlea, antequam Laërti nuberet, conceptum. Eius errores ab Homero copioſè deſcripti ſunt, mors etiam à Caſſandra ſuit prædicta. Cùm enim poſt occiſos procos, à

C cogna-

cognatis immineret ei periculum, vt narrat Plutarchus : vocatus ab vtriſque arbiter Neoptolemus, Vlyſſem Cephallenia iuſſit & Ithaca cedere. in Italiam igitur profectus, à filio Telegono per imprudentiam eſt occiſus. plura vide quæ in Lycophr. annotauimus.

In vigeſimumprimum.

Quoniam Vlyſſis prudentia ſingularis fuit in bello Troiano, ſolaque propemodum victoriæ cauſam dedit, quemadmodum inquit alicubi Homerus,

Conſilijs vrbs capta tuis Priameia:

non immeritò belli huius felicitas huic ſoli tanquã auctori tribuitur. Homerus quoque hac de cauſa ſæpius eum πτολίπορθον vocat, cũ Achillem, qui multas vrbes ſubegerat, ſemel ferè duntaxat hoc donarit nomine, quemadmodum obſeruauit Euſtathius.

In vigeſimumſecundum.

Thoantis, Ætolorum ducis, maiores in Diomede ſunt expoſiti. Poſt bellum autem vnà cum Nireo, ſi Lycophroni credimus, in Africam primùm, deinde in Epirum tem-

peſtate

peſtate delatus eſt.

In vigeſimumtertium.

Idomeneus & Meriones pariter ab Oceano genus ducunt. Lycophron Idomeneum à Ioue quartú facit, quandoquidem Europa Minoem ex Ioue concepit. Idem etiam eum ad Colophonem ſepultum tradit: regnum quoque eiuſdem Leucum occupaſſe, ſub finem refert.

In vigeſimumquartum.

Tlepolemus fuit Herculis F. is portò maternum genus ad Belum referebat. nam paternum eſt omnibus notum. Hic poſt bellum in patriam redijt. Apud Homerum tamen Il.ε. à Sarpedone occiditur. Itaque oſſa ſaltem vidétur in patriam relata. Rhodus fluctibus orta dicitur ſecundum id, quod de ea Pindarus Olymp.7.cecinit.

In vigeſimumquintum.

Deipyli nuſquam Homerus, niſi Iliad.ε. meminit, & huic refert Sthenelum equos, Aeneæ ademtos, in caſtra dediſſe abigendos. Ormenus eſt vrbs Theſſaliæ.

In vigeſimumſextum.

Nireus Aglaiæ fuit F. Gratiarum vnius, Iouis F F. Homerus,

Nireus Aglaiæ gnatus, Charopique dynaſtæ:
Nireus qui Troiã pulcerrimus vnus Achiuum
Inſignem præter Pelidem venit Achillem.

De eo quid Lycophron tradat, in Thoante diximus. At Calaber eum lib. ſexto ab Eurypylo facit occidi.

In vigeſimumſeptimum.

Phidippus & Antiphus habentur Theſſali F F. Herculis N N. Antiphus quidem in Pelaſgiam delatus, eam à ſe Theſſaliam denominaſſe: Phidippus autem in Cyprum deueniſſe dicitur. Ephyræ porrò multæ fuerunt.

In vigeſimumoctauum.

Achillis maiores in Aiace Telamonio retulimus. Is à Paride in Apollinis Thymbræi ſagitta transfixus eſt, vt alij volunt, ab Apolline, vt narrat Cointus, & innuit Lycophron, quanquam eum paulo antè in Alb insula collocarat. In Propontide ſepultu heic dicitur, quemadmodum Odyſſ. ω.

Littore in excelſo lati maris Helleſponti,

In v

In vigeſimumnonum.

Quod heic de Pieridibus adfert, ex Homero ſumtum eſt, qui ibidem ſic ait:

At Muſæ ter tres arguta voce viciſſim
Lugebant.——

Simile quoque quiddam ex Cointo alibi protulimus.

In trigeſimum.

Patrocli maiores in eodem Aiace reperiuntur. Eius interitus ex Homero dilucidè cognoſcitur. Illud certè prætereundem non eſt, quod pauci, opinor, intellexerunt, ita Patroclum ab Hectore vinci, quemadmodum literarum Patrocli numerus ab alterius numero ſuperetur: ac rurſum Hectorem ab Achille, ſicut itidem numeri alterius alteros excedant. Sunt autem Patrocli nominis numeri 881. Hectoris 1225 Achillis 1276. Ac ſimile quid in Caroli & Mauricij nominibus noſtro tempore fuit obſeruatum. Neque aliter Chriſti nomen in Sibyllis eſt 888. numerorum: Antichriſti in Apocal. 666. Sed ad rem. Cur Patroclum in catalógo ſuo Poëta omittat, cauſam dicit Euſtathius Achillis quietem & pugnæ dilationem: quaſi non debuerint eius, qui

bellum negligeret, neque ad id pertinere videretur, præfecti recenſeri. quapropter etiam Phœnicem eodem loco putat omitti, qui quidem Iliad. π. inter quinq; Achillis duces numeratur. Eum Lycophron Eone in Thracia ſepultum tradit. Ceterum poſt Achillem Homerus Proteſilaum ſubiungit: cuius maiores in Vlyſſe tradidimus Is primus è nauibus ad Troiam egreſſus, primus, vt erat in fatis, ab Hectore trucidatus eſt. Huic nos epitaphium, quod vel Ariſtoteles, vel librarius neglexit, tale poſuimus:

Επὶ Πρωτεσιλάε, κειμλύε ἐν ἐλεῦντι.
Ενθάδε Φυλακίδην μεγαθύμον Γρωτεσίλαον,
ὃ ἕκτωρ κτείνε, θρῆκες ἄνακτα θέσαν.

Proteſilai, Eleunte.

Phylacidem Thraces generoſum Proteſilaum,
Hector quem domuit, hoc poſuere loco.

In trigeſimumprimum.

Podarces Proteſilai frater fuit. Itaque an Actoris fuerit filius, dubitari poterit. Equidem, ſi liceret, Ariſtotelem heic non præter morē magnorū virorū incuria lapſum crederē. In Thoante quidē ſimiliter Ευαίμονος pro Ανδραίμονος ſcriptū erat. Ceterum Podarcē apud Calabrū interimit Penthesilea

In tri

In trigeſimumſecundum.

Eumelus à Cretheo, Æoli.F. genus ducit: Is in patria videtur occubuiſſe.nam certi nihil habeo. Gentem in latinis dixi more Romano.

In trigeſimumtertium.

Philoctetis maiores in Vlyſſe recenſentur. Eum in Italiam Lycophron poſt bellum deueniſſe, & in prælio quodam, cùm Rhodios iuuaret, à Pellenijs occiſum, Macellis fuiſſe ſepultũ tradit. Huic nos etiam epitaphium tale ſcripſimus:

Επὶ Φιλοκτήτου, κειμένου ἐν μακέλλοις.
Ηδὲ Φιλοκτήτην ποιάντιον, ἄρχ᾽ ἀχαιῶν
δμηθέντ᾽ ἐν πολέμῳ, ξεῖνος ἔκρυψε κόνις.

Philoctetis, Macellis.

Iſta Philoctetem, pugnax quẽ ſternit Achiuus,
Poeantis prolem, terra aliena tegit.

Et quoniam Piloctetes in Lemno fuit à Græcis relictus, ci ducẽ ſubſtituit Medonẽ Poëta, Oilei F. is ab Ænea. Il. o. interficitur.

In trigeſimumquartum.

Podalirius & Machaon Æſculapij F F. Apollinis N N. fuerunt. Ac Machaon quidem ab Eurypylo fuit occiſus, ſi Cointo credimus: Podalirius deinde in Daunia ſe-

pultus, oracula ſecundum quietem cœpit effari, teſte Lycophrone. Theſſali porrò beneficiorum non immemores, honorarium vtrique ſepulcrum erexerũt. eſt enim Tricca Theſſaliæ vrbs.

In trigeſimumquintum.

Eurypylus à Cercapho Aeoli F. deducitur, eum in Libyam vnà cum Guneo & Prothoo vult eiectum Lycophron.

In trigeſimmſextum.

Polypoetes quidem Pirithoi F. Ixionis N. Leonteus verò Coroni F. Cænei N. prædicatur. Vterq; poſt captam Troiam in Pamphyliam veniſſe, & Aſpendum in ea vrbem condidiſſe fertur.

In trigeſimumſeptimum.

Guneo nos olim epitaphium iſtud ſcripſimus.

Επὶ κενοταφίου Γουνέως, ἐν περραιβίᾳ.

Γουνεῖ τόνδε μέγαν περραιβοὶ ἄνδρες ἔτευξαν
τύμβον. τοῦ δὲ δέμας πόντος ἄθαπτον ἔχει.
Gunei in cenotaphio, in Perrhæbia.

Heic

Heic Guneus tumulum eſt Perrhæbus adeptus inanem:

Nam corpus vaſti contegit vnda maris.

In trigeſimumoctauum.

Prothous à Magnete, Æoli. F. deducitur. Is vnà cum Guneo & Eurypylo, vt antè diximus. in Libyam fuit mortuus eiectus. Honorarium deinde tumulum in patria (eius nomen ex hiſtoria eſt à nobis adiectum) conſecutus eſt.

In trigeſimumnonum.

Quemadmodum nonnullos ab Homemero poſitos principes epitaphijs dignatus non eſt Ariſtoteles, ita viciſſim alios aliqua virtute inſignes, quamuis principes non fuerint, ijſdem decorare voluit. Ac ſimiliter Lycophron Caſſandra Calchãtis, Mopſi, & Amphilochi caſus prædixit: Cephei quoque & Praxandri, qui in Cyprum venerunt: Epei quoque architecti, in Italiam delati. Ceterum Talthybius Agamemnonis regis fuit præco. is in patriá poſt bellum reuerſus, ibidem ſepultus fuit. Atque vt hic Talthybium deorum & hominũ præconem vocat, ita eum Achilles apud Hom.

Iouis & hominum appellat nuncium.

In Quadrageſimum.

Automedon Dioris F. Achillis fuit auriga. is in prælio videtur perijſſe.

In Quadrageſimumprimum.

Hactenus Græcorum epitaphia. ſubijciuntur Troianorum duorum epitaphia, quanquam plura ſcripſiſſe Ariſtotelem crediderim. Hectoris maiorum ſeries ab Iapeto ducitur.

Is Ilia. χ. ſingulari certamine cum Achille congreſſus occiditur. Verùm Thebani paulò pòſt eius oſſa iuſſi ab Apolline ſunt ad ſe deferre. qua de re plura diximus in Lycophr. Poſt hunc ſubiungitur ab Homero Æneas, cuius maiores vnà cum Hectoris iá traditi ſunt: deinde Archilochus & Acamas, Antenoris F F. quorum ille ab Aiace Telamonio Iliad. ξ. hic à Merione Iliad. ϖ. occiditur: tum Pandarus Lycaonis F. quem Diomedes Il. ε. interficit: pòſt Adraſtus & Amphius, Meropis F F. qui Iliad. λ. pereunt: deinde Aſius Hyrtaci F. quem Diomedes Iliad. ν. perimit. in eum epita-

epitaphij principium hoc recitat Euſtathius.

ἵππων ὠκυπόδων ἐλατὴρ θρασυκάρδιος——
quod equidem Ariſtotelis fuiſſe puto. Subijciuntur apud Poëtam Hippothus & Pylæus, Lethi FF. quorũ ille Il.ρ. à Telamonio proſternitur: tum Acamas, Eyſſori F. qui ab eodem Iliad.ζ. & Piros Imbraſi F. qui à Thoante Iliad.δ. interficitur: denique Euphemus, Trœzeni F. Ciconum dux.

In Quadrageſimumſecundum.

Pyræchmes Pæonum dux fuit. eum Patroclus Ilia.ϖ. de medio tollit. In huius locum ſuffectus Aſteropæus, quem Achilles Iliad.φ. interficit. Amydon eſt vrbs Pęoniæ. Subijciuntur deinceps apud Homerum Pylæmenes, qui à Menelao Iliad.ε. occiditur: Odius & Epiſtrophus, quorũ prior ab Agamemnone ibidem proſternitur: Chromis & Ennomus, quorum hic Ilia.φ. ab Achille cæditur: Phorcus & Aſcanius, quorum illum Il.ρ. Telamonius interimit: Meſthles & Antiphus, Talæmenis F F. Męonum duces: Naſtes & Amphimachus, Nomionis F F. quorum hic ab Achille Il.φ. interficitur: Sarpedon & Glaucus, quorum illum

illum Patroclus Iliad. ϖ. hunc Aiax Telamonius de medio ſuſtulit. Glaucus porrò ſuos & Sapredonis maiores ipſe Iliad. ζ. recenſet.

Atque hæc hactenus. poſtremò tãquam πάρεργον hoc addam, quod annotat Euſtathius, Græcorum duces XLVI. numero Troianorum XXVIII ſi poſteriores annumerentur, fuiſſe neque alium in Boeotia numerum reperias: qui Græcorum quidem plenus eſt, Troianorum verò duntaxat vno caret, quem rectè poſſumus Rheſum ponere. Iam ex his ait idem Græcos XIV, Troianos XVIII in prælio cecidiſſe. Equidem Græcos totidem, Troianos etiam XVIII poſſum numerare. Atque illi quidem fuerunt Arceſilaus, Prothoenor, Clonius, Aſcalaphus, Schedius, Elpenor, Aiax Telamonius, Amphimachus, Diores, Tlepolemus, Nireus, Achillles, Proteſilaus, Medon: hi rurſum Hector, Archilochus, Acamas, Pandarus, Adraſtus, Amphius, Aſius, Hyppothous, Acamas, Piros, Pyræchmes, Pylæmenes, Odi⁹, Ennomus, Phorc⁹, Amphimachus, Sarpedon, Glaucus. Verùm hac de re pluribus diſputare, nimis curioſi foret. Supereſt, vt epitaphia quinque reliqua, quæ cum prio-

prioribus coniungi non debuerant, heic tanquam παροψώνημα, quoniam eiuſdem auctoris videntur, proponamus ac vertamus.nam annotationes adiicere ſi vellem, valdè diligenter omnes τοῦ λεπτολογεῖν occaſiones iure viderer arripere.

Ἐπὶ Λαομέδοντος.

Ἐνθάδε περγαμίδην κεύθει χθὼν Λαομέδοντα,
Ἵππων ὠκυπόδων εἵνεκ' ἀποφθίμενον.

Ἐπὶ Αἰήτου, κειμένου ἐν κολχίδι.

Αἰήτην κόλχοισι πολυχρύσοισιν ἄνακτα
ἐνθάδε πανδαμάτωρ μοῖρα θεῶν κτέρισε.

Ἐπὶ Ζήθου, κειμένου ἐν θήβαις.

Ἑπταπύλων θηβῶν βασιλεὺς ὅδε κεῖται ὑπὸ χθὼν
Ζῆθος, ὃν Ἀντιόπη γείνατο παῖδ' ἀγαθόν.

Ἐπὶ Ὀρφέως, κειμένου ἐν κικονίᾳ.

Θρήϊκα χρυσολύρην οἰάγρου παῖδα θανόντα
Ὀρφέα ἐν χώρῳ τῷδε θέσαν κίκονες.

Ἐπὶ Πυλάδου, κειμένου ἐν φωκίδι.

Υἱὸς ὅδε στροφίου Πυλάδης ἐν φωκίδι γαίῃ
Κεῖται, ἐπεὶ παντὸς μοῖραν ἔπλησε βίου.

Laomedontis, Ilij.

Pergameum tellus heic celat Laomedontem,
Veloces ob equos pluribus implicitum.

AEetæ, in Colchide.

Colchorum Æeten moderatorem auriferorum
Omniuora hoc ſepelit ceſpite Parca deum.

Zethi, Thebis.

Septifidas Thebas qui rexerat, hoc monumento
Zethus non mala ſtirps clauditur Antiopæ.

Orphei, in Ciconia,

Oeagri natum hoc Cicones texere ſepulcro
Orphea, quem decuit ſplendida Thraca lyra.

Pyladis, in Phocide.

Hic ſoboles Strophij, Pylades, ſub Phocide terra.
Tempora poſt vitæ cuncta peracta iacet.

Agamemnoni.

Rex regum Atrides, fraternæ coniugis vltor,
Oppetijt manibus coniugis ipſe ſuæ.
Quid prodeſt Helenes raptum puniſſe dolentem,
Vindicem adulterij cum Clytemneſtra necet?

Menelao.

Felix ô Menelae, deum cui debita ſedes,
Decretumque piis manibus Elyſium:
Tyndareo dilecte gener, dilecte Tonanti:
Coniugij vindex, vltor adulterij:
Aeterno pollens æuo, æternaque iuuenta,
Nec lethi paſſus tempora, nec ſenij.

Aiaci.

Aiatis tumulo pariter tegor obruta Virtus,
Illacrymans buſtis funeris ipſa mei:
[a] *Incomtus lacerata comas, quòd prauus Atrides* [a] In vulg. Inconſtás
Cedere me ſtructis compulit inſidiis.
Iam dabo purpureum claro de ſanguine florem,
Teſtantem [b] *gemitu crimina iudicij.* [b] In vulg. gemitum.

Achilli.

Non vna Aeacidem tellus habet. oſſa teguntur
Littore Sigeo: crimen Lariſſa cremauit.

Vlyſſi.

Conditus hoc tumulo Laërta natus Vlyſſes.
Perlege Odyſſean, omnia noſſe volens.

Diomedi.

Conditus heic genitore bono melior Diomedes,
Crimen ob vxoris pulſus dotalibus agris:
Argyripam, claroſq; viris qui condidit Arpos,
Clarior vrbe noua, patriæ quàm ſede vetuſta.

Antilocho.

Conſiliis, belloque bonus (quæ copula rara eſt)
Carus & Atridis, carus & Aeacidis:
Præmia virtutis ſimul & pietatis adeptus,
Seruato Antilochus Neſtore patre obij.
Non hic ordo fuit: ſed iuſtius ille ſuperſtes,
Troia capi ſine quo perfida non poterat.

Neſtori.

Hoc tegor in tumulo, quarti iam prodigus æui
Neſtor, conſilio clarus & eloquio.
Obiecit ſeſe cuius pro morte peremptus
Filius, & nati vulnere viuo pater.
Eheu, cur fatis diſponere ſic placet æuum,
Tam longũ, vt nobis, tam breue, vt Antilocho?

Pyrrho.

Orbe tegor medio, maior virtute paterna,
Quòd puer & regis Pyrrhus opima tuli:
Impius ante aras quem fraude peremit Oreſtes:
Quid mirum? cæſa iam genitrice furens.

Euryalo.

Nec me non dignum titulo Pleuronia credit,

Cui

Cui communis erat cum Diomede domus
Euryalo & Sthenelo: nam tertius hoc ego regnum
Poſſedi, de quo nunc ſatis eſt tumulus.

[a] Guneo.

[b]*Gunea pontus habet, tumulus ſine corpore nomẽ:* b In vulg. Cynea.
Fama homines inter, cælum animus repetit.
Cuncta elementa duci tanto commune ſepulcrum.
Quæ? cælum, & tellus, & mare, & ora virũ.

a In vulg. Cyneo.

Proteſilao.

Fatale aſcriptum nomen mihi Proteſilao.
Nam primus Danaum bello obij Phrygio,
Audaci ingreſſus Sigeia littora ſaltu,
Captus pellacis Laertiadæ inſidiis:
Qui ne Troianæ premeret pede littora terræ,
Ipſe ſuper proprium deſiliit clypeum.
Quid queror? hoc lethũ iam tũ mea fata canebant.
Tale mihi nomen quum pater impoſuit.

Deiphobo.

Proditus ad pœnam ſceleratæ fraude Lacænæ,
Et deformato corpore Deiphobus,
Non habeo tumulum, niſi quem mihi voce vocãtis
Et pius Aeneas, & Maro compoſuit.

Hectori.

Hectoris hic tumul⁹, cũ quo ſua Troia ſepulta eſt:
Conduntur pariter, qui periere ſimul.

Aſtyanacti.

Flos Aſiæ, tantaque vnus de gente ſuperſtes,
Paruulus, Argiuis ſed iam de patre timendus,
Heic iaceo Aſtyanax, Scæis deiectus ab altis.
Prô dolor. Iliaci, Neptunia mœnia, muri
Viderunt aliquid crudelius Hectore tracto.

Sarpedoni.

Sarpedon Lycius, genitus Ioue, numine patris
Sperabam cælum: ſed tegor hoc tumulo,
Sanguineis fletus lacrymis. prô ferrea fata.
Et patitur luctum qui prohibere poteſt.

Naſti, & Amphimacho.

Naſtes et Amphimachus, Nomionis inclyta proles,
a In vulg. Doctores. [a] *Ductores quondam, puluis & umbra ſumus.*

Troilo.

Hectore proſtrato, nec diis, nec viribus æquis
Congreſſus perij Troilus Aeacidæ.
Raptatus bigis, fratris coniungor honori:
Cuius ob exemplum nec mihi pœna grauis.

Polydoro.

Cede procul tumulo, myrtum fuge neſcius hoſpes.
Telorum ſeges eſt ſanguine adulta meo.
Confixus iaculis, & ab ipſa ſede ſepultus,
Condor in hoc tumulo bis Polydorus ego.
Scit pius Aeneas, & tu, rex impie, quòd me
Thracia pœna premit, Troiaque cura tegit.

Eu-

Euſemo.

Euſemum, Ciconum ductorem, Troia tellus
Condidit haſtati Martis ad effigiem.
Nec ſatis eſt titulum ſaxo incidiſſe ſepulcri:
Inſuper & frontem mole onerant ſtatuæ:
Ocyus iſta ruunt, quæ ſic cumulata loquuntur.
Maior vbi eſt cultus, magna ruina ſubeſt.

Hippothoo & Pylæo,
in horto ſepultis.

Hippothoū Pylæumque tenet gremio infima tellus:
Caulibus & maluis terga ſuperna virent.
Nec vexat cineres horti cultura quietos,
Dum parcente manu molle olus excolitur.

Ennomo & [a] Chromio.

Ennom⁹ heic Chromiuſq; iacēt, queis Myſia regnū, [a] In vulg. Chromioni.
Queis pater Alcinus, Oceanuſque atauus.
Nobilitas quid tanta iuuat? quo clarius iſtis
Eſt genus hoc mortis conditio grauior.

Priamo.

Hic Priami non eſt tumulus, nec condor in iſta
Sede: caput Danai diripuere meum.
Aſt ego cum lacerum ſine nomine funus haberem,
Confugi ad cineres Hectoreos genitor.
Illic & natum, Troiamque, Aſiamque ſepultam
Inueni & noſtrum quicquid vbique iacet.

Eidem.

Qui tumulum Priami quærit, legat Hectoris antè.
Ille meus, nato quem prius ipſe dedi.
Hectoris & patris ſimul eſt commune ſepulcrum,
Amborum quoniam iuncta ruina fuit.

Hecubæ.

Quæ regina fui, quæ claro nata Dymante,
Quæ Priami coniux, Hectora quæ genui,
Heic Hecuba iniectis perij ſuper obruta ſaxis,
Sed rabies linguæ me tamen vlta prius.
Fidite ne regnis, & prole, & ſtirpe parentum,
Quicunque hoc noſtrum σῆμα [a] κυνὸς legitis.

[a] In vulg. κενὸν

Polyxenæ.

Troas Achilleo coniuncta Polyxena buſto,
Malueram nullo ceſpite functa tegi.
Non bene diſcordes tumulos miſcetis, Achiui:
Hoc violare magis, quàm ſepelire fuit.

FINIS.

Legit & admiſit

Thomas Gozeus.

A01 1466659

A01 466659